Lane Medical Library

DE DIEBUS DECRETORIIS

CUM EXEMPLIS EX PNEUMONIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVI. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

BERNARDUS TOPHOFF
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
P. ALT, MED. ET CHIR. DR.
O. GETHMANN, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
KUERTEN, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40153524_0303

AVUNCULO

OPTIMO, DILECTISSIMO

FAUTORI AMICISSIMO

FRANCISCO WESENER,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI MEDICO PRACTICO IN PAGO DULMANIENSI ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Aestate hujus anni, quum in clinico professoris praeclarissimi Frerichs, Reg. a. cons. med. intim., medicinae exercendae operam darem materiamque dissertationis circumspicerem, a doctore Naunyn, medico venerabili, adjutore professoris Frerichs, complures pneumonias prorsus contra doctrinam a gravissimis auctoribus defensam intra tenorem dierum parium decretas illo ipso loco animadversas esse certior sum factus. Magna et benignitate et humanitate venia historias morborum huc pertinentium dispiciendi mihi ab eodem est oblata.

Cui viro, quo suasore haec dissertatio est scripta, maximas habeo gratias semperque habebo.

Versatus sum dein in diebus decretoriis. Scriptis hac de re paucis tantum iisque per breve tantum tempus uti potui. Pleraque scripta vir benevolentissimus Elsholtz, Med. divis. exerc. praefectus, institut. medico-chirurg. Frider.-Guilelmiani director etc. etc., quam ob rem summas ei dico gratias, mihi commodavit.

Index scriptorum, quibus sum usus:

1. Claudii Galeni, opp. edid. Kuehn, vol. IX, vol. XVII, I et II.
2. Andreae Laurentii, de crisibus libri tres, Francofurti 1546.
3. Bordeu (1753), œuvres complètes par Richerand, Tome I[er], Paris 1818. (Recherches sur les crises.)
4. Ideler, Abhandlung über die Krisen in Krankheiten. Leipzig 1796.

5. Henke, Darstellung und Kritik der Lehre von den Krisen, Nürnberg 1806.
6. Baumgarten-Crusius, Periodologie, Halle 1836.
7. G. Schweig, Untersuchungen über periodische Vorgänge im menschlichen Organismus, Karlsruhe 1843.
8. L. Traube, über Krisen und kritische Tage, Berlin 1852.
9. Andral, clinique médicale, 3ème édition, Tome 3, Paris 1834.
10. Grisolle, traité pratique sur la pneumonie, Paris 1841.

Doctrina dierum decretoriorum antiquissima. Cujus auctor ex testimoniis historicis nobis traditis Hippocrates videtur fuisse.

Hippocratem, quae erat ei accuratio investigandi summa, non fugit, in nonnullis morbis certis temporibus subitam permutationem apparere, quae morbum finiret. Quam subitam mutationem, quamvis de multis aliis commutationibus verbo eodem uteretur, (vid. Bordeu lib. cit. sub 3. 1 pag. 209) appellavit κρίσιν. Hanc certis diebus apparere opinatus eos dies nominavit decretorios.

Haud ita facile est, ex scriptis Hippocratis, quos dies decretorios putaverit, vere constituere. Quorum tamen dierum praesertim impares magni momenti esse Hippocrates videtur putasse, quamvis alii in Hippocrate sint loci (Epid. lib. I, 3), quibus pares quoque dies non ex toto improbantur.

Ex diebus imparibus praesertim tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, septimus decimus, vicesimus primus, vicesimus septimus, tricesimus primus; ex diebus paribus quartus, sextus, octavus, decimus, quartus decimus, duodetricesimus, tricesimus, duodequinquagesimus, sexagesimus, octogesimus et centesi-

mus graves putabantur, sed ita ut septimus quisque: septimus, quartus decimus, vicesimus primus, vicesimus septimus, haberetur gravissimus. Qui inter illos essent, minus decretorios esse Hippocrates putavit. Hi dividuntur in eos, quibus parvae crises eaeque minimi momenti in exspectatione sint, et in eos, qui crisibus vacui eo melius usui medicinae conveniant (dies vacui s. medicinales). Ad quos pertinent primus, secundus, sextus, octavus, decimus, duodecimus, sextus decimus.

Qui *numeri* Hippocratis, quum vox κρίσις parum subtilem habeat notionem atque etiam parium dierum series admissa sit, rhythmum tantum phaenomenorum diligenti naturae observatione perspectum significare videntur.

Omnino haec doctrina similis istis numeris Pythagorae: Δυάδι, Ενάδι, Τριάδι, Τετρακτύι et Ἀθηνᾷ i. e. 7; cui numero tota antiquitate species gravitatis et sanctitatis erat.

Tamen vero Hippocratem „pythagorissare,“ ut hoc verbo utamur, affirmare non possumus, nam nonnullis eius dictis, quae ab Asclepiade, Celso, Galeno recepta sunt, eum non numeris sed experientiae confisum esse liquet.

Hippocrati, quamvis diebus decretoriis non vim summam adscripsisse videatur, non multo post exstiterunt adversarii.

Asclepiades Prusensis doctrinam dierum decretoriorum prorsus repudiavit, quum nonnullae febres saepe praesertim sexto et octavo die decernantur.

Maxime vero Themison, Laodicensis, scholae me-

thodicae conditor, contrarius Hippocrati, cui A. Corn. Celsus se adjunxit, qui ipse Hippocratem „pythagorissare“ dicit, affirmans dies pares saepe pejores esse quam impares, seriem numerorum in multis morbis esse mutatam et diem quartum decimum, cui tanta adscribatur gravitas, et ipsum esse parem.

Praeter hos multi alii Hippocrati hac in re adversarii, praesertim Caelius Aurelianus Siccanus et Archigenes, qui pro die vicesimo Hippocratis diem vicesimum primum posuit.

Maxime profuit doctrinae dierum decretoriorum Claudius Galenus, qui doctrinam illam renovare et confirmare tam diligenter studebat, ut cum dispendio fere experientiae eam immutabilem putavisse videatur, quae res maxime effecit, ut haec doctrina subsequentibus temporibus putaretur inventio Pythagorea.

Galenum doctrinam Hippocratis sine conditione recepisse ac magis systematicam tantum reddidisse Jackson, (Fieber in Jamaika, vide Henke lib. cit. sub 5) testatur.

De „κρίσι“ vero, quo loco uberrime de ea dixerit, multo jam certiorem exprompsisse sententiam quam Hippocratem haecce verba Galeni docent: „Μόνη τοίνυν ἁπλῶς κρίσις ἡ εἰς ὑγείαν ὀξύῤῥοπος μεταβολὴ προς αγορεύεται etc.“ (v. Traube, in lib. supr. sub 8 notato, p. 20.)

Dierum ipsorum eandem atque Hippocrates refert seriem, sed etiam *primum* diem decretorium esse posse dicit. (Galen. de dieb. decretor. lib. iij. cap. 8) neque minus *tertium*, quem ad febres tantum diarias valere apparet. (Ib. lib. I, cap. 9.)

Galenus dies decretorios ad vim lunae referendos esse opinatur, quae per periodos suas septem dierum quarto quoque et septimo die tales permutationes procreet, ut *quartus* semper nuntius septimi sit, quo crisis appareat. (Ib. lib. ij, cap. 9, lib. iij, cap. 8.)

Tertium et *quintum* ita quoque decretorios posse fieri, ut natura processum morbi acceleret vel retardet.

Sextum diem plerumque perniciosum ac crisin eo apparentem semper fere letalem. Huic diei contrarium esse diem *septimum*, qui, quum finis periodi septem dierum sit, primus omnium dierum decretoriorum.

Quem eadem ratione sequi diem *quartum decimum*, dein *nonum*, *undecimum*, *vicesimum*; hos sequi septimum decimum et duodevicesimum diem.

Diem duodecimum et sextum decimum minoris esse momenti, octavum et decimum sexto similem.

Vicesimum diem maximi esse momenti, quum inter finem tertiae et initium quartae hebdomadis situs sit.

Denique commendat vicesimum septimum, tricesimum quartum, quadragesimum, sexagesimum, minus vero vicesimum secundum, vicesimum tertium, vicesimum quintum, vicesimum sextum, undetricesimum; tricesimum secundum, tricesimum tertium, tricesimum quintum, tricesimum sextum, tricesimum septimum, duodequadragesimum, undequadragesimum.

Dierum criticorum causam esse, ut jam supra commemoravimus, mutationes siderum, praesertim lunae putavit, qua de re fundamentum rationis, periodum bis quater, id est septem, dierum ducit.

Galenum ab Hippocrate multum dissentire apparet, quum non summas experientiae referre videatur, sed studium ex diebus decretoriis systema reddendi prodat.

Neque minus singulis diebus subtilissimas adscribit naturas, Hippocrates vero accurate discrimen tantum facit inter dies pares et impares. Galenus, si contra Hippocratem diem obtinet vicesimum, hoc non facit commotus rationibus, quae experientia, sed quae hypothesi nituntur. (Qua de re videas infra p. 14).

Per omnia subsequentia tempora auctoritas Galeni plurimum valebat. Semirepugnantes, vel semiprobantes, vel quodammodo mutantes, raro prorsus negantes doctrinam illam sunt *opiniones*, quas historia duce explicare jam studebimus.

Serenus Samonicus, magister, nisi fallor, Gordiani, superstitioso, ut ita dicam, erat amore certorum numerorum praesertim primi, septimi, noni.

Quinto et sexto seculo Aëtius tantum et Alexander ille Trallianus de diebus decretoriis Galeni sectatores commemorandi. Sequentibus seculis nomina nec adversariorum nec sectatorum commemoranda exstant.

Denique in scriptis Arabum, primum Rhazis, rursus apparet doctrina dierum decretoriorum.

Avicenna (1050), qui quantae auctoritatis fuerit, omnes sciunt, omnino et ipse a Galeno minimo tantum modo abhorret.

Qui tamen primum dierum decretoriorum putat *quartum*, hunc sequi septimum, vicesimum. Eos nominavit „radicales.“

In iis morbis, quorum impetus in dies impares incidant, diem undecimum majoris esse putat momenti, quam diem quartum decimum.

Nullius momenti esse primum, secundum, decimum, duodevicesimum, undecimum, vicesimum quintum diem.

Crises etiam post septem menses, post annum, quin etiam post quatuordecim et viginti unum annos apparere posse.

Ebn Sina tempus initii morbi accuratius terminare studens, dies dicit decretorios e nato typo vel e certo febris initio esse computandos. Neque minus dies impares esse praecipue decretorios febris tertianae putat, ac undecimum obire quarti decimi vices affirmat.

Bernardo de Gordonio scripsit: de investigatione dierum criticorum per causam sumptam e quadris lunae.

Amatus Lusitanus dies criticos ex harmonia διὰ πασῶν Pythagorae ducit. Contra Galenum et veteres diem sextum decimum decretorium putat, nisus crisi hoc die ab eo ipso et Gordonio animadversa febrium haematodum. Septimum gravissimum putat, quod (!) corpus ex quatuor elementis, animus ex tribus viribus constet, quae conjuncta (!) septem sint. Quartum decimum constare ex bis septies. Etiam nefandissimum sextum in numerum dierum criticorum refert. Duodecimum vero, sextum decimum, undevicesimum prorsus repudiat.

Explicationem aequo modo inanem Cardanus affert, qui divisione qualibet dierum anni, semper ad numerum 3 et ad numerum 4 recurrit, quorum conjunctione 7 fieri tradit.

Seculo sexto decimo experientias de diebus decretoriis a multis collectas invenimus.

Coyttarus febri petechiali anno 1557 epidemice apparente discrimen fecit inter eam, quae quarto vel septimo et eam, quae undecimo, quarto decimo, decimo septimo, vicesimo etc. decernatur.

Andreas Treviso sexto decimo die haemorrhagias „criticas" faustum procreantes exitum animadvertit, qua re arcebat tyrannidem illam sexti a Galeno positam semperque ad id tempus acceptam.

Ceterum paribus diebus crises in pejorem partem esse mutatas, saepeve letales fuisse, profitetur.

Peste in Italia superiore vero grassante (anno 1528) plerosque aegrotos secundum illam Galeni doctrinam die sexto mortuos esse, traditum est.

Aequo modo febres pestiferae, quae aestate anni 1574 ex febribus semitertianis conjunctis cum periculosis impetibus natae erant, quarto die letalem habebant exitum.

Jam in eo sumus, ut novas magni momenti doctrinas et ipsas argumentis carentes perscribamus necesse sit.

Hieronymus Fracastori dies decretorios ex complicatione complurium virium per varias febris substantias duxit.

Si una tantum morbi substantia emineat, febrim intermittentem tantum esse diesque decretorios non animadverti. Sin complures substantiae vitiosae neque aliae cum aliis mixtae sint, unamquamque earum impetum efficere et paroxysmum phlegmatis, quod

facillime cognoscatur, uno quoque die apparere. (Typus quotidianus.)

Flavam vero bilem typum tertianum procreare; aridam, terrosam, atramque bilem efficere typum quartanum. Typos minus eminentes „diebus morosis“ apparere.

Quum vero atra bilis palam vel furtim in omnibus fere morbis vim habeat, hac re aliquid quartani in paroxysmis nasci. Quos esse *dies* praesertim *decretorios*.

Si una cum flava fluctuet atra bilis in febribus acutis, periodos adesse quartanas, scilicet: 4. 7. 10. 13 diebus; si, ut in febribus modicis, secundo demum die, periodos esse 2. 5. 8. 14. 17. 20 diebus. Sin, ut in morbis chronicis, tertio demum die commoveatur, fieri periodos ex 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30 diebus.

Quaeritur, ubi argumenta!

Initio septimi decimi seculi van Helmont doctrinam repudiat dierum criticorum.

Ludovicus Mercatus doctrinam hancce sustentavit, quam non pendere censuit ex numeris, sed ex materia et vi siderum, praesertim lunae.

De le Boë Sylvius ejusque discipuli adversarii erant dierum decretoriorum.

Omnino vero seculo et septimo decimo et duodevicesimo magna erat auctoritate doctrina dierum criticorum.

Singuli adversarii, infestissimus cognitioni nostrae Bordeu (v. lib. cit. s. 3), sed clarissimi medici illam obtinuerunt doctrinam.

Paracelsus, Baglivi, Sydenham. — Boerhaave, Fr. Hoffmann ejusque tota schola mechanico-dynamica, Stahl, Gorter, de Haen, Zimmermann, ex aliegenis River, Hollerus, Duretus, Bellonius, Laurent, Quesnay, Cloture, Freind, Testa, Cleghorn, omnes plus minus etsi non doctrinam acerbiorem Galeni, tamen leniorem Hippocratis de diebus decretoriis recepisse videntur.

Altero saeculi praeteriti dimidio duo sunt viri ad nostrum finem commemorandi.

Cullen (1712—1790) et Jackson (v. libr. supr. cit. 1796.).

Cullen ille veterem Hippocaticam doctrinam de crisibus praesertim de diebus decretoriis defendit, abs qua tamen aliquantum aberrat.

Putat enim dies decretorios 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17 impares igitur, neque minus 14 et 20 dies affirmans indicationem diei vicesimi primi in aphorismis Hippocatis errorem scribentis fuisse. Quod Sprengel (pragmatische Geschichte der Medizin), Jackson (lib. cit.) aliique repudiarunt, quum Hippocrates etiam alio loco eosdem dies nominaret et Galenus nec minus Celsus eundem diem ab Hippocrate acceptum affirmassent.

Supra diem vicesimum Cullen non alios ponit. Naturam diei vicesimi idem auctor explanare studens, usque ad undecimum diem periodum tertianam crises adducentem ponit, sed post undecimum diem periodum quartanam. Argumentum (?) ducit ab experientia sua et ex analogia impetuum febrium intermittentium. Quae explanatio repugnat Galeno, quippe qui vicesi-

mum ponat, cum in quartum decimum prosthesin constituat. Galenus, ut Henke commemorat, quartum diem non manifeste periodum finire sed dimidium ejus dicit. Nam si periodus septem dierum in duas dividatur partes, crisin in quartum diem incidere, utpote qui finis primae et initium secundae periodi quatuor dierum sit. Periodum septem dierum hanc ob rem integram habendam esse; nam septimum diem non una initium secundae periodi septem dierum esse posse, quum, si hoc fiat, finis eius non in diem quartum decimum incidere possit. Quum vero dies quartus decimus una finis secundae et initium tertiae periodi septem dierum sit, hanc non esse perfectam periodum septem dierum. Nam bis duplicatam esse, quod tertium fieri non possit.

Jackson et ipse omnes fere constitutiones Hippocratis de critica dierum serie recipit, postulat vero, ut dies decretorii ex periodis febris non ex diebus naturalibus computentur.

Causam dierum decretoriorum certum esse revolutionum numerum, quibus febris adducatur ad crisin.

Febrim ordinariam tertianam die impari decerni, si typus neque anticipetur neque postponatur et impetus non diutius quam duodecim horas durent. Sin typus anticipetur, ita quidem, ut summa anticipationum inter processum morbosum quatuor et viginti horas duret, crisin in diem parem incidere, si pro naturalibus, sed imparem, si pro anfractibus morbi computatio fiat.

Aequo modo inter processsum morbi crisin usque

ad diem parem retardari, si impetus viginti quatuor horas duraverit.

Praeter anticipationem et postpositionem impetuum febris et complicationum typorum Jackson in febribus, quae septem dies durant, aliam quoque ponit perturbationis causam, quae regulis criticarum periodorum nitatur.

Revolutionem enim conjunctam cum magnis permutationibus symptomatum se animadvertisse affirmans, hanc ob rem impetus secundam periodum perfectam putat, quae temporis spatio primae similis sit. In febribus diuturnis complures earum ponit.

Multas adhuc attulimus opiniones, multas multorumque explanationes atque explicationes, sed jam, postquam historia duce duo milia annorum doctrinam de crisibus praeterlapsorum perlustravimus, confiteri debemus, tanto tempore exacto ne hoc unum quidem constare, *utrum dies decretorii* **sint** *nec ne*. Ita res se habebat exeunte saeculo praeterito.

Neque minus nostro saeculo nihil satis certi atque argumentis usque ad terminalem sententiam firmiter fundati hac de re scimus.

Pergamus referre opiniones! Maxime commemoratione dignus Henke [in scripto (supra sub 5) cit. 1806] videtur nobis, dicens:

Auch neuere Aerzte, welche die Fundamentalsätze der Krisenlehre nicht anerkennen, sind darüber ganz einig, dass zuweilen die Entscheidungen der Krankhei-

ten an bestimmten Tagen bemerkt werden und ich selbst habe dies zu leugnen nie verlangt.

Es würde entweder sehr wenig Beoabachtungsgabe verrathen oder beweisen, dass man nur sehr wenige Kranke müsste gesehen haben, wenn man leugnen wollte, dass bei manchen Pneumonien oder bei andern anhaltenden Fiebern am siebenten, vierzehnten oder an einem andern sogenannten kritischen Tage bedeutende und oft auch wohlthätige Veränderungen vorgehen. Aber ebensowenig vermag man in Abrede zu stellen, dass *ebenso oft* oder *noch öfter* die Veränderungen an diesen Tagen **nicht** erfolgen und die Kranken dennoch genesen.“

Hisce dictis doctrina dierum criticorum repudiatur.

Simile dictum invenimus in scripto citato medici Richerand (1818), (vide lib. sup. 3) citato (in prooemio).

Nam multis fallaciis descriptis, in quas doctrinâ Galeni de diebus decretoriis a se receptâ praecipitatus fuerit, haec dicit: Je ne finiroit point, si je voulois parler de tous ces mécomptes et dire combien de fois les nombres tant célébrés trois, sept, quatorze, vingt-un, n'ont amené aucun changement.

Et paulo antea: „Savans et le peuple, médecins et malades tous admettent la doctrine des jours critiques réguliers dans les maladies, *doctrine aussi peu fondée* que celſe des années climacteriques; on retrouve évidemment ici l'influence des idées de Pythagore sur le pouvoir de nombres.“

Fautorem doctrinae hujusce, de qua agitur, anno 1834 se praebet Andral (vid. libr. cit. sub. No. 9).

Grisolle, (lib. cit. sub. No. 10) hoc ei crimini vertit, negans, se intelligere, quomodo Andral computaverit.

Liceat ejusdem viri, ut referendi opiniones finem faciamus, citare de diebus criticis doctrinam, quam in eodem lib. anno 1843 protulit: „Il faut conclure, de ce qui précède, que la doctrine des jours critiques est très incertaine ...."

Ex hisce constat, causam de diebus criticis non fuisse dijudicatam usque ad annum 1843.

Nostro tempore et ipse praeclarissimos autores audivi negantes, diebus decretoriis auctoritatem esse regulae, eaque sententia nobis quidem inter aetatem academicam maxime occurrebat diffusa.

Tamen vero nunc quoque opinio contraria a multis medicis defenditur. Quorum longe illustrissimus et notissimus, Cel. *Traube*, professor in hac alma Musarum sede celeberrimus. Qui anno 1852 promulgavit de crisibus et criticis diebus commentationem, qua eximie certa et simplici ratione existimationem suam de diebus criticis explicat.

Nihil usquam hisce verbis magis plane expressum que dictum invenimus, quod attineat ad doctrinam nostram: (Vid. lib. cit. p. 11 sub. vij.) „Das sprungartige Sinken der Temperatur im Verlaufe akuter Krankheiten, welches zur Genesung führt, tritt, wenn es wie gewöhnlich vor dem 14ten Tage erfolgt, *immer* entweder am 3ten oder am 5ten oder am 7ten oder am 9ten oder am 11ten Krankheitstage ein." —

„Das sprungartige Sinken der Temperatur im Verlaufe akuter Krankheiten, welches zur Genesung führt"

hoc nihil aliud esse, nisi notionem vocis „Krisis“, ex verbis sub 3 pag. 21 ibid. dictis apparet. Quam notionem Galenianae (vide supra pag. 9) prorsus respondere Cel. Traube ibid. demonstrat.

Alterum et ipsum illustrissimum et praeclarissimum auctorem: „crisin, si appareat, non semper diebus imparibus a Traube dictis apparere“ affirmantem nos jam audivimus.

Uter verum dicit?

Utrum crisis, si ante quartum decimum diem apparet, semper imparibus diebus apparet, nec ne?

Haec quaestio factis tantum decerni potest.

Priusquam haec facta colliguntur, de rationibus conveniatur oportet.

1. Quaeritur, quid crisis sit?

Notionem melius definitam ea quam Cel. Traube reddidit, haud facile fieri posse puto.

Traube enim dicit: „Das plötzliche Verschwinden des Fiebers im Verlaufe akuter und fieberhafter Krankheiten, welches die Genesung einleitet.“

„Das plötzliche Verschwinden des Fiebers“ idem est ac „das plötzliche Verschwinden der abnorm hohen Temperatur“ et mensuris thermometricis optime demonstrandum.

Quae temperationis mensurae ut minimum bis intra quatuor viginti horarum spatium tempore et remissionis et exacerbationis fiant, Traube recte postulat.

2. Deinde quid est „dies“.

Galenus, ut supra commemoravimus, computationem ducens a febris impetibus itaque *dies* decretorios definit.

Alii Hippocratem jam commemoravisse dies morbi non prorsus respondere diebus solis dicentes, diem medicinalem viginti trium horarum posuerunt.

Traube pariter atque Galenus diem morbi ponit periodum viginti quatuor horarum computationemque ab ipso initio morbi periodis viginti quatuor horarum porro facit.

Quam computationem naturae maxime consentaneam nos ipsi fecimus.

III. Denique hac de re conveniatur oportet, quid in febrili morbo sit *initium?*

Galenus, ut hoc quoque breviter commemoremus, initium morbi perfectam periodum, quae per longius tempus durare possit, putari vult. Quam periodum a vera genesi morbi ad ingressum notabilium permutationum durare Galenus affirmat. Plerique hujus temporis medici initium morbi ab eo momento computaverunt, quo primi certiores evidentioresque febris impetus nascantur.

Quibus conditionibus tribus nisus Traube ad fidem aphorismi illius supra commemorati hanc seriem casuum addit (lib. cit. p. 12).

Art der Krankheit.	Zahl der Fälle.	Tage, an welchen der Temperatursprung erfolgte.
Pleuropneumonia	18	2 Fälle am 3. Tage,
		7 „ „ 5. „
		8 „ „ 7. „
		1 „ „ 9. „
Pleuropneumonie. Pericarditis	1	am 7. Tage,

Glossitis	1	am 5. Tage,	
Erysipelas	2	„ 5. u. 7. Tage,	
Dysenteria	1	„ 9.	
Morbilli	2	„ 3. „ 7.	„
Febris rheumatica	2	„ 3. „ 11.	„
in Summa	27 Fälle.		

Initium morbi satis accurate („in der Regel durch einen Frost“) indicatum est.

Ad quam tabulam Traube annotationem facit, „dass in 4 Fällen die Entscheidung auf die Grenzen des geraden und ungeraden Tages, in keinem einzigen aber zwischen die Grenzen eines geraden gefallen sei.“

Hanc summam doctrinae „das sprungartige Sinken der Temperatur, welches zur Genesung führt, tritt, wenn es vor dem vierzehnten erfolgt, immer an einem ungeraden Tage ein“, faustissimam esse liquet, at haec summa casuum 27 tantae generalique doctrinae non est argumentum neque ab auctore ipso illud putatur.

Nova igitur facta circumspicere debemus.

Minime, nos erroribus obnoxios fore puto, si ad hanc quaestionem *pneumonia* utimur.

Hoc enim morbo potissimum doctrina dierum criticorum explicata esse videtur. Quo in morbo si rectum verumque invenerimus, facile generatim etiam de diebus decretoriis rectum verumque inveniemus. Ad quod pneumonia etiam aliis diversis causis apta videtur. Nam

1) si, cum aliis affectionibus, quod plerumque accidit, non complicata hominem validum, quod et ipsum

plerumque accidit, invasit, febris typum eximie purum et merum praebet.

2) initium plerumque acriter (horrore) insignitum.

3) crebro hujusce morbi finiendi modus apparet crisis

4) plerumque hoc tempore pneumonia „exspectative“ tractatur.

Jam ab aliis collationes dierum criticorum pneumoniae factae sunt, primum ab Andreae (clinique médicale tome 3. 1834. pag. 546), qui centum et duodecim casus componit, quorum septuaginta octo ante quartum decimum diem decreti sunt.

Numerus pneumon.	Tempus	Numerus pneumon.	Tempus
3	4 die	11	10 die
2	5 „	13	11 „
6	6 „	1	12 „
23	7 „	2	13 „
2	8 „	11	14 „
4	9 „		

Omnino persuasum habeamus licet, Andral voci „initium“ et „diei“ eundem atque nos tribuisse sensum. An, quas composuit, omnes pneumoniae purae fuerint, ac quanto modo exspectative tractatae sint (Andral enim tractationi „non exspectativae“ favet vid. lib. cit. pag. 559), dijudicari non potest, quod quidem minoris momenti. Majoris dignitatis videtur, quod Grisolle medico Andral probro vertit dicens:

„Toutefois il à regretter, que Mr. Andral n'ait pas dit comment il avait compte et à quelle époque il avait regardé la maladie comme terminée.“

Grisolle dein suas experientias refert. (Grisolle, traité prâtique de la pneumonie, Paris 1841). „Quant à moi, ayant réuni tous les faits de pneumonie, dans lesquels le début de la maladie avait pu être très-exactement déterminé, j'ai noté ensuite le moment précis où les symptomes ont commencé à décroître, puis j'ai fixé avec le même soin le jour ou les accidents s'étaient tellement amendés, que le malade pouvait être regardé par tout le monde comme commençant actuellement sa convalescence.

Or, dans ces deux manières de compter, je me suis assuré que la maladie n'avait *aucune tendance naturelle à se terminer au bout de certains jours* et j'ai vu la pneumonie commencer à décroître ou la convalescence se déclarer à peu près aussi souvent pendant les jours dits critiques et intercalaires, que pendant ceux qu'on nommés vides ou non décrétoires.

Je dirai enfin, que chez les 10 individus dont la maladie fut abandonné aux forces de la nature, chez lesquels par conséquent nul traitement actif ne vint contrarier les mouvements organiques, plus de la moitié des crises eurent lieu pendant les jours vides; c'est aussi pendant ces mêmes jours que la convalescence commença chez six d'entre eux, tandis que chez quatre seulement elle débuta pendant les jours dits critiques, décrétoires et indicateurs.

Ces résultats viennent dont démontrer encore le peu fondement de la doctrine des jours critiques."

Hisce verbis tabulam affigit hancce:

Nombre des pneumonies	jour de crise	Nombre des pneumonies	joúr de crise
1	4	2	8
9	5	11	9
4	6	1	10
5	7	3	11
		36	

Il faut conclure de ce qui précède que la doctrine des jours critiques est tres incertaine et que ne saurait l'admettre avec confiance pour ce. qui concerne la pneumonie. (Grisolle lib. cit.)

Inde medicum *Grisolle* suis experientiis nisum doctrinae saltem veteris dierum decretoriorum esse adversarium sed, quod hic magni momenti est, *diebus imparibus* nihilo magis quam *Andral omnino non* **unicam** *tribuere auctoritatem* apparet.

Sed ut alius modi summas cum hisce componamus, Traube ille de pneumonia quoque affert tabulas (lib. cit. p. 13).

Si de terminando momento criseos subita magnaque pulsuum frequentiae minutio satisdationi est, nostrum ad finem utilissima videtur tabula prima:

Zahl der Pneumonien.	Tag, an welchem es zu einem plötzlichen und erheblichen Sinken des Pulses kam.
2	Am 3. Tag entschieden.
8	„ 5. „ „
13	„ 7. „ „
6	„ 9. „ „
2	„ 11. „ „
1	„ 6.* „ „
32	

* Per hunc casum unum sexto die decretum erroris locum poni auctor sinit.

In tabula supra commemorata inveniuntur:

2	pneumoniae,	quae	temperationis	subitam praebuerunt minutionem	3°	die
7	„	„	„	„	5°	„
8	„	„	„	„	7°	„
1	„	„	„	„	9°	„
18 casus.						

Satis apparet, sustineri posse aphorismum illum de diebus imparibus, „Das sprungartige Sinken der Temperatur, welches zur Genesung führt, etc.“ si existimationes contrarias medicorum illorum Andral et Grisolle inutilitatis convincere licet.

Per summam benevolentiam singularemque benignitatem doctoris egregii Naunyn, cui viro haecce facta, quae commematuri sumus, omnia debemus, praesto nobis fuerunt omnes fere pneumoniae observatae ex anno 1859 in nosocomii caritatis sectione, cui praeest clarissimus Frerichs.

Pro tanto favore tantaque comitate huic viro summas gratias agimus ac, quam maxime possumus, semper habebimus.

De hisce pneumoniis commemoranda sunt haec:

1. Initium morbi *semper ad diem* quin etiam saepe ad horam primordialis horroris conquassantis notatum fuit. Pneumoniae, quarum initium tali modo notatum non invenimus, nimirum omnino omissae sunt.

2. Ex momento initii per periodos viginti quatuor

horarum porro computatum est itaque fines primi, secundi etc. diei terminati sunt.

3. Temperationis, pulsuum, respirationumque mensura quotidie bis in stadio et remissionis et exacerbationis facta est summa illa accuratione, quae in nosocomio caritatis legem sistit.

4. Tempore criseos saepe in horas etiam mensurae temperationis etc. actae sunt.

5. Tractatio aegrotorum „exspectativa" fere fuit, exceptis nonnullis casibus, in quibus ante introitum in clinicum venaesectio facta erat.

Pneumoniarum, quas perscrutandi mihi erat occasio, numerus 144.

Ex hisce vero non plures, quam 67, ad nostrum finem tamquam recta idoneaque exempla extrahere potuimus, quum in reliquis aut crisis minus certa, aut alia quaedam conditionum, quas supra constituimus, minus iuste expleta fuerit, quam quibus ad argumentationem uti possemus.

Nam intensissima tantum observandi cura diligentiaque ac, quod inde sequitur, firmissima factorum fide ad verum perveniri potest.

Qua ipsa de causa non ex mensuris tantum, quae quinto et sexto tabulae loco notatae sunt, sed multo magis ex tota morbi mutationumque effigie aestimationem duximus, utrum casus ad nostrum finem satis esset aptus, nec ne!

Qua re factum est, ut nonnullas crises, quae numeris hic infra notatis minus munitae ac firmatae videbantur, tamen in iudicium vocare liceret.

Casus, secundum acta diurna nosocomii.	Tempus initii.	Tempus criseos.	Numer. diei.	Mensurae ante crisin.	Mensurae post crisin.
1. Pleuropneumonia sinistra.	4./11. 59. vesp.	12./11. ad matutinas.	8.	T. 40,2	37,3
				P. 112	80
				R. 28	20
2. Pleuropneumonia sinistra.	28./5. matut.	4./6. matut.	7.—8.	T. 40,2	37,9
				P. 116	76
3. Pneumon. sinistra.	13./6. vesp.	20./6. matut.	7.	T. 39,2	37,2
				P. 104	96
4. Pleuropneumonia lob. inf. sinistr.	20.-21./7. noct.	25./7. matut.	4.—5.	T. 41,0	37,4
				P. 116	68
5. Pneumonia dextra.	8./5. vesp.	17./5. matut.	9.	T. 39,2	37,7
6. Pneumonia cum Meningitide.	8./5.	13./5. matut.	5.	T. 40,1	37,2
				P. 108	84
7. Pneumon. sinistra.	24./6. p. merid.	3./7. matut.	9.	T. 39,2	37,2
10. Pneumonia duplex.	6./5. vesp.	12./5. mane.	6.	T. 40,8	38,3
				P. 96	68
				R. 40	32
11. Pneumonia centralis.	13./6. matut. temp.	18./6. vesp.	6.	T. 39,3	37,6
				P. 80	64
				R. 32	24
13. Pleuropneumonia dextra.	15./4. vesp.	19./4. matut.	4.	T. 38,9	37,3
				P. 80	60
14. Pneumonia sinistra.	2./3. 60. —	7./3 —	6?	T. 39,4	37,3
				P. 100	84
				R. 32	24
15. Pleuropneumonia sinistra.	26./11. 59. mane.	3./12. matut. temp.	7.—8.	T. 39,4	37,0
				P. 88	80
				R. 64	52
19. Pneumonia	17./7. mat.	21./7. matut.	4.—5.	T. 39,0	37,8
				P. 88	76
				R. 28	20
21. Pneumon. typhosa.	27./11. —	4./12. matut.	7.	T. 39,8	37,5
				P. 88	72
				R. 32	24
24. Pleuropneumonia.	30./6. mat.	5./7. matut.	5.—6.	T. 39,6	37,3
				P. 120	88
				R. 52	36
26. Pleuropneumonia.	12./3. 60. post meridiem.	28./3. matut.	16.	T. 39,5	37,5
				P. 80	60
				R. 28	22
27. Pleuropneumonia.	9./5. mane.	16./5. mane.	7.—8.	T. 39,0	37,2
				P. 100	84
				R. 28	22
32. Pneumonia dextra.	18./11. 60. vesp.	21./11. mat.	3.	T. 38,6	37,6
				P. 90	78
				R. 30	26
34. Pneumonia dextra Delir. tremens.	8./12. 60. vesp.	16./12. vesp.	9.	T. 38,8	37,7
				P. 94	78
36. Pneumonia dextra.	17./12. matut.	23./12. mane.	6.—7.	T. 39,3	37,3
				P. 92	84
				R. 30	26

Casus, secundum acta diurna nosocomii.	Tempus initii.	Tempus criseos.	Numer. diei.	Mensurae ante crisin.	post crisin.
40. Pneumonia lob. inf. lat. sin.	2./1. vesp.	8./1. matut.	6.	T. 40,1 P. 118 R. 62	37,0 84 28
41. Pneumonia.	9./7. vesp.	16./7. matut.	7.	T. 39,4 P. 88 R. 24	37,5 60 24
42. Pleuropneumonia dextr. superior.	14./3. matut.	21./3. matut.	7.	T. 39,3 P. 92 R. 24	37,3 84 32
45. Pneumonia dextra superior.	12./5. 61.	22./5. matut.	10.	T. — P. 104 R. 44	36,8 76 36
47. Pneumonia dextra delirium.	8./5. vesp.	16./5. mane.	8.	T. 39,6 P. 116 R. 36	37,1 60 24
49. Pneumonia dextr.	19./4. 61. vesp.	28./4. matut.	9.	T. 39,6 P. 112 R. 36	37,4 88 28
50. Pneumonia sin.	3./4. vesp.	8./4. mane.	5.	T. 38,4 P. 80 R. 16	36,8 68 24
59. Pneumonia dextr.	19./4. mane.	23./4. matut.	4.—5.	T. 38,8 P. 100 R. 32	37,4 68 32
61. Pneumonia sin.	22./4. ante merid.	28./4. mane.	6[1]. fine.	T. 39,8 P. 100 R. 36	37,8 76 28
66. Pneumonia sin. sup. biliosa.	12. 6. vesp.	20./6. matut.	8.	T. 38,5 P. 88 R. 36	37,5 64 32
67. Pneumonia dextr.	18./6. matut.	25./6. matut.	7.	T. 40,6 P. 104 R. 32	37,2 72 28
68. Pneumonia dextr. potatoris.	20.-21./6. 61. noctu.	2./7. matut.	11. 13.	T. 40,4 T. 38,1	T. 38,0 T. 37,0
69. Pneumonia sin. post.	28./6. mane.	2./7. mane.	4.—5.	T. 38,9 P. 96 R. 24	36,6 88 20
72. Pneumonia dextr.	26.-27./5. noctu.	1./6. matut.	6. inc.	T. 39,6 P. 112 R. 40	36,5 80 28
74. Pneumonia simpl.	17./2. 61. vesp.	25./2. matut.	8.	T. 39,0 P. 80 R. 28	37,1 72 24
75. Pneumonia sin.	29.-30./4. noctu.	9./5. matut.	9.	T. 39,1 P. 108 R. 32	37,0 80 28

Casus, secundum acta diurna nosocomii.	Tempus initii.	Tempus criseos.	Numer. diei.	Mensurae ante crisin.	Mensurae post crisin.
76. Pneumon. simpl.	7.–8./3. noct.	11./3. mat.	4.	T. 40,5 P. 108 R. 40	37,2 76 24
80. Pneumonia.	8.–9./11. noct.	13./11. vesp.	5.	T. 38,4 P. 84 R. 20	37,2 84 20
81. Pneumon. sinistra.	7./1. vesp.	14./1. mat.	7.	T. 40,5 P. 108 R. 28	37,0 84 20
87. Pneumonia.	13./1. meridie.	17./1. mat.	4.	T. 39,9 P. 102 R. 24	36,8 84 20
86. Pneumonia.	30./12. mane.	7./1. mane.	9.	T. 38,9 P. 124 R. 36	37,9 96 28
		22./1. mane.		T. 40,0 P. 116 R. 28	
88. Pneumonia.	16./1. mat.	22./1. vesp.	7⁰.	T. 38,6 P. 96 R. 28	
		23./1. mat.			T. 37,6 P. 84 R. 28
89. Pneumonia infer. simpl.	13./1. vesp.	16./1. mat.	3.	T. 40,1 P. 92 R. 24 T. 39,8 P. 96 R. 24	37,7 84 24
90. Pneum. dextr. sup.	11./12. —	17./12. mat.	6?	T. 39,4 P. 96 R. 36	37,4 88 32
91. Pneumonia.	14./6. 61. mat.	23./6. mat.	9. fine.	T. 39,3 P. 124 R. 56	37,3 100 36
92. Pneumon. sinistra inf.	3./1. 61. mane.	8./1. vesp.	6.	T. 39,3 P. 104 R. 36	37,5 96 28
93. Pneumon. simpl.	5./1. vesp.	13./1. vesp.	8.	T. 38,4 P. 108 R. 28	36,5 82 24
94. Pneumon. dextr. inf.	21./1. 62.	28./1. vesp.	8?	T. 38,2 P. 84 R. 20	37,6 68 24
99. Pneumon. dextr.	13./2. —	23./2. mat.	10 11.	T. 39,5 P. 88 R. 28	37,9 80 36

Casus, secundum acta diurna nosocomii.	Tempus initii.	Tempus criseos.	Numer. diei.	Mensurae ante	post crisin.
102. Pneumonia.	2.–3./3. noctu media.	10./3. mat.	8.	T. 40,6	38,4
				P. 96	78
				R. 56	36
109. Pneumon. dextra.	30./3. —	9./4. vesp.	11.	T. 38,5	36,0
				P. 68	60
				R. 28	40
110. Pneumon. sinistra post.	5./4. vesp.	13./4. mat.	8.	T. 39,0	36,0
				P. 116	68
				R. 32	24
114. Pneumon. sinistra.	28. 29./4. noct.	5./5. mane.	7.	T. 40,0	37,4
				P. —	60
				R. —	20
115. Pneumon. dextr.	2./5. vesp.	11./5. mat.	9.	T. 39,2	37,8
				P. 100	72
				R. 36	28
116. Pneumon. sinistr.	5./5. noctu ad matutin.	12./5. mat.	7.—8.	T. 40,0	37,0
				P. 112	88
				R. 40	24
119. Pneumonia.	17./6. merid.	23./6. mat.	6.	T. 38,5	37,0
				P. 84	—
				R. 28	—
121. Pneumonia.	6./6. merid.	9./6. mat.	3.	T. 40,4	37,6
				P. 104	76
				R. 36	26
123. Pleuropneumonia sinistra.	30./6.—1./7. noctu.	8./7. mat.	8.—9.	T. 38,0	36,5
				P. 96	88
				R. 30	—
126. Pleuropneumonia dextra sup.	6./8. merid.	13./8. mane.	7.	T. 38,5	37,5
				P. 88	72
				R. 32	—
131. Pneumonia dextra sup.	9./10. vesp.	16./10. mat.	7.	T. 40,8	37,9
				P. 112	84
				R. 32	24
134. Pneumonia.	27./11. vesp.	6./12. mat.	9.	T. 39,5	37,2
				P. 112	88
				R. 28	24
135. Pneumonia.	29./11. ad vesp.	6./12. mat.	7.	T. 39,0	37,4
				P. 100	92
				R. 36	24
136. Pneumonia.	3./12. —	11./12. —	8?	T. 39,6	36,7
				P. 112	72
141. Pneumonia.	24./12. vesp.	31./12. mat.	7.	T. 39,1	36,0
				P. 112	92
142. Pneumon. catarrh.	15./1. 63 vesp.	21./1. mane.	6.	T. 40,4	37,4
				P. 100	76
				R. 30	—
143. Pneumonia.	24./1.	31./1. mat.	7.	T. 39,0	37,6
				P. 92	84
144. Pneumon. dextra.	23./2. vesp.	4./3. ad vesp.	9.	T. 39,1	36,8
				P. 130	92

Hi 67 casus in judicium contentionis vocati, hancce proferunt summam; — finitae sunt:

Pneumoniae.	Die.	Pneumoniae.	Die.	Pneumoniae.	Die.
3	3°	8+2?	6°	10	9°
3	4°	13	7°	1	10°
3	5°	7+2?	8°	1	11°
1	12°			1	16°

inter 4—5 diem judicatae sunt 4 pneumoniae
" 5—6 " " " 1 "
" 6—7 " " " 1 "
" 7—8 " " " 4 "
" 8—9 " " " 1 "
" 10—11 " " " 1 "

Praeter hos casus occasio fuit undequinquaginta alios observandi, qui a vere 1863 ad aestatem 1864 in eadem statione versabantur. Mensurae solito majore accuratione — in casibus praecipue annotandis circa criseos introitum noctu dieque — factae sunt.

Fructus ex hisce observationibus percepti sunt hi: Ex illis undequinquaginta casibus undevinginti tantum ejusmodi erant, in quibus omnes conditiones, quas supra necessarias commemoravimus, eximie essent expletae.

Praesertim in omnibus hisce certissima aderat crisis certissimumque morbi initium.

Numerus pneumon.	Dies critic.	Numerus pneumon.	Dies critic.
1	2	2	7—8
2	4	4	9
1	5	2	10
3	6	1	14
3	7	19	

Itaque adducimur, ut aphorismo supra commemorato professoris celeberrimi Traube: „Das sprungartige Sinken der Temperatur im Verlaufe akuter Krankheiten, welches zur Genesung führt, tritt, wenn es vor dem 14 Tage erfolgt, wie gewöhnlich, immer entweder am 3ten, oder am 5ten, oder am 7ten, oder am 9ten, oder am 11ten Krankheitstage ein“, quod quidem attinet ad pneumoniam, assentire non possimus.

Sed ne praepropere ausi simus novas dare regulas de diebus decretoriis!

Jam diutius facta colligendi officium!

Restat itaque pronunciare, de efficacia dierum decretoriorum nullo modo satis esse judicatum.

Nam praeter quaestionem regulae satis certo ac firmiter constitutae, quae factorum numero nitatur satis magno, secundo loco quaestio causae enodandae nobis occurrit efficacitatis cujusdam dierum decretoriorum.

Haud scio an, si est, efficacia tota dierum criticorum doctrina cohaereat vinculo quodam cum nutationibus periodicis, quae sexto quoque die in nonnullis functionibus corporis (exempli gratia in excretione acidi urici, vide Schweig, Untersuchungen, lib. cit. sub No. 7) videntur inire circulum.

Quam saepe et quamdiu poterimus, quaestiones hasce ad dijudicationem propius adducere studentes, facta quam multa et accuratissima componere pergemus.

VITA.

Natus sum Clemens Bernardus Tophoff, fidei addictus catholicae, Paderae, urbe Guestphaliae, anno MDCCCXLIII parentibus Theodoro, quo adhuc sospite laetor, et Juliana, de gente Wesener, quam vere hujusce anni crudelissima morte ereptam nunquam lugere desinam. Primis litterarum elementis Paderae imbutus, cum pater interdum Asnidiam, Cis-Rhenanam urbem transmigrasset, gymnasium, quod patre directore administrabatur, Asnidiense adii. Auctumno anni MDCCCLX maturitatis testimonium nactus sum atque ad almam universitatem Bonnensem me contuli. Ubi cum in civium academicorum numerum a rectore Magnifico t. t. Ill. Troschel receptus essem, nomenque coram Beat. Kilian Gratiosi Medicorum Ordinis t. t. Decano spectabili professus, tria per semestria interfui scholis: Ill. Bischoff de chemia anorganica et organica; Ill. Knoodt de logice; Ill. Pflueger de physiologia generali et speciali, et de electrotherapia; Ill. Pluecker de physice; Cel. Schaaffhausen de encyclopaedia et methodologia et de anthropologia; Ill. Schacht et Exp. Hildebrand de botanice; Ill. M. Schultze de anatomia generali et speciali, de anatomia comparativa; Ill. Weber de angiologia; Ill. Wutzer de syphilide. Tum Herbipoli duo per semestria audivi disserentes: de materia medica Ill. Rinecker; de pathologia et therapia Ill. Bamberger; de chirurgia Cel. Dehler; de arte obstetricia Ill. de Scanzoni; de anatomia microscopica Ill. H. Mueller; de histologia comparativa Ill. Koelliker, de chemia physiologica et pathologica Ill. Scherer. Ibidem scholas frequentavi clinicas: Ill. Bamberger, Ill. Linhart, Ill. Rinecker, Ill. de Scanzoni. Inde hanc almam petii Musarum sedem, ut interessem lectionibus Ill. Virchow, Beat. Casper; scho-

lasque frequentarem clinicas Cel. Ebert, Ill. Frerichs, Ill. Juengken, Ill. de Langenbeck, Ill. Martin, Cel. Schoeller, Cel. Traube.

In exercitationibus practicis usus sum ducibus: in arte cadavera secandi Ill. Schultze et Ill. Weber; in analysi chemica anorganica Ill. Scherer; de auscultatione et percussione Exp. Geigel; in arte fascias alligandi Exp. Mitscherlich; in operationibus obstetriciis Cel. Schoeller; in operationibus chirurgicis et ophthalmiatricis Cel. Boehm.

Quibus omnibus viris Ill. valde de me meritis summas gratias ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et physico et medico nec non examine rigoroso absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Morbi acuti febriles, qui ante diem decimum quartum critice judicantur, et imparibus et paribus diebus judicantur.
2. Morbi symptomata tantum cognoscis, si haec tollis, morbum curas et sanas.
3. In omnibus morbis nimius remediorum usus plus nocet nullo.
4. Jus necis medico nunquam competit.
5. Generatio aequivoca non est.